



Tractatus De Schismate

Longueval, Jacques

Lovanii, [1718]

§. III. Fidei interioris unitas non sufficit ad communionem cum Ecclesia
Catholica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64915)

missi Carthaginem ut judicarent quænam oppositarum partium esset Catholica, non examinarunt quænam esset fides Ecclesiæ Carthaginensis, immo Africae totius. Donatus seriem conscripserat faventium sibi Episcoporum & Presbyterorum, eamque multò numerosiorem quàm ostentare possint hoc tempore inimici Constitutionis. De quibus S. Optatus, *L. 1. n. 26.* dixerunt, inquit, *illam esse Catholicam Ecclesiam, qua esset in toto orbe terrarum diffusa.* Si in disputationibus regula fidei vestrae esse debeat Ecclesia Parisiensis, Ecclesia Londinensis & Genevensis debuit esse regula fidei eorum, qui hisce in civitatibus, tunc cùm nasceretur Schisma, morabantur.

§. III.

Fidei interioris unitas non sufficit ad communionem cum Ecclesia Catholica.

Sicut Ecclesia est visibilis, ita nexum quo ei adstringimur, visibilem esse oportet. Suprà ostendimus, nobiscum in universis fidei punctis convenire posse Schismaticos. Ecce ergo non sunt membra Ecclesiæ, si eadem cum illa credant? Ratio est, quòd communionem cum illa non fervent: quòd Ecclesiæ Legibus submittere se nolint: quòd jurisdictioni ejus se subducant: & his de causis ruperunt nexum unitatis. Si unquam Schisma quoddam plausibile & quadamtenus excusabile videri potuit, fuit illud Luciferi in Sardinia. Fatetur S. Ambrosius Episcopum illum, pro causa fidei exulem nil nisi doctrinam orthodoxam discipulis suis instillasse.

Verba

Verba Ambrosii sunt : *Quamquam pro fide exulasset , & fidei sua reliquisset haeredes.* Nihilominus nec S. Hieronymus , nec S. Ambrosius , nec univèrsa Ecclesia credidit , salvari quemquam posse qui Factionem Luciferi Schismaticam sequeretur ; immo nec fidem ejus perstare posse illibatam. S. Ambrosius de fratre suo S. Satyro sermonem instituens , ait : *Non putavit tamen fidem esse in Schismate. Nam etsi fidem erga Deum (Luciferiani) tenerent , tamen erga Dei Ecclesiam non tenebant , cujus patiebantur velut quosdam artus dividi , & membra lacerari. Etenim cum propter Ecclesiam Christus passus sit , & Christi Corpus Ecclesia sit ; non videtur ab his exhiberi Christo fides , à quibus evacuatur ejus passio , corpusque distrabitur.*

Ambr. de excessu fratris sui. Nov. edit. c. I. p. 1127.

§. IV.

Communio cum Ecclesia exterior non sufficit.

Sola exterior cum Ecclesia communio ; apparentes , non veros Catholicos facit. Oportet præterea ut interior animi sensus eidem nos uniat . tum fidei ab ipsa acceptæ integritate , tum supremæ ipsius auctoritatis reverentia & agnitione. Quæ si desint , exterior communio larva est Hæreseos , & ars seducendi. Quapropter si quis Novator proscriptas ab Ecclesia sententias animo occulto retineat , non habet re ipsâ cum Ecclesia communionem , tametsi exteriori specie ei adherere videatur , & Sacramenta vel accipiat vel administret. Lupus est larvatus , qui ut magis noceat , in ovili se occultat. Manichæi pertinacissimè ambiebant sinu Ecclesiæ

con-